



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ. De Iudæorum consilio contra Dominum: Expediit
vobis, ut unus moriatur homo pro populo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

hodie: Ipse & in sacula. Nam cum certum sit te tūm illi non negaturum fuisse hunc mortificationis actum qui occurrit, quia iudicasset illum mereri; profecto neque etiam modò, neque quocunque petat tempore, negare unquam debes, quia sic iudicare, sic credere, & sentire debes illum tam iniuste modò mereri quam quando passus est. Aut enim tūm nihil meritus est quod faceres, aut illud meruit quod modò faciendum est. Expende hoc: quid enim meruit ut faceres, nisi quod potes & debes facere? at quid est illud nisi quod occurrit faciendum? Hoc est scilicet, quod ex Cruce vidit, hoc est cui præstando Gratiā destinavit, & salutem affixit: sicut enim te non vidit nisi in ea differentia temporis, qua modò vivis, sic neque actum mortificationis, quem redderes, nisi quo tempore esset reddendus. Quamobrem si hunc negas, negas quod debes, aut negas te illi hoc debere, quæ est horrenda blasphemia, & quæ te aliquando eò deducet, ut neges te quidquam illi debere, aut fatearis te nolle quidquam

reddere. Nam si non reddis, quod petit, quid reddes? Quidquid sit aliud, quod non petit, recusabit, & nihil reddes. *Munus non suscipiam de manu vestra.*

Et si verò alia tibi videantur præstanda, nihil est magis necessarium nihilque certius quod à te exigatur, quàm ille mortificationis actus, qui ad evitandam cordis inordinationem adhibendus est: sicut enim hanc inordinationem numquam potest probare Christus, ita non potest non petere, quod à te necesse est ut cum Gratiā coerceatur. *Nemini Ecclesi. 15. mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Non ita de positivis aliis operibus certus esse potes; & verè illud mortificationi continuè applicari potest, quod de præputiis Philistinorum dicebat Davidi Saul: *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis.* Te sponsabat in Cruce Christus, & hæc a te, quæ dicta sunt, sponsalia postulabat, quæ si negas, vide Cui neges.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Iudeorum Concilio contra Dominum. Ioan. 11.

Quid nequius, quam quod excogitavit caro & sanguis: *Ecclesi. 17.*

Nempe de Iesu perdendo, ut supra explicatur in hac 2. parte, Feria 2. hebdomada infra Septuagesimam.

EXPEDIT vobis ut unus moriatur homo pro populo.

Non minus expedit ad salutem, ut verus homo moriatur in nobis, quàm ut novus homo moreretur pro nobis.

In 4. parte, Feria 5. hebdomada 25.

Sicut à veteri lege, sic à veteri homi-

ne, unicuique Christiano est abstine-

dum. *In 1. parte, Sabbato hebdomada 5. post Epiphaniam. Vide & Dominicam infra Octavam Nativitatis Domini: & diem Circumcisionis.*

Mortificatione potius tibi sunt omnia subtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.

In 3. parte. 24. Augusti.

Quæ hac denique & sequenti die proponuntur Veritates, satis patet, quàm sint conformes superioribus, necnon quæ in parasceve seu Feria 6, hebdomadæ sanctæ.

SAB-